

gloria, vel gloriosum. Sic appellatur caelum Empyreum Christo passo destinatum, & Christi propria sedes, palatium magnificum, & Regia sedes.

In eminentissimam Empyreum partem ascendit Christus, super omnes Angelos. Ps. 67. 19. Ad Ephel. 4. 10. S. Chrysof. S. Anselm.

S. Leo.

S. Anast. Sinaita. Superius caelum sinus Christi Patris.

Angeli simul cum caelo Empyreum, & in illo conditi.

Ex probabili sententia, conditi in sidereo.

Prænotavit Christum, & Christo sedes parata in Empyreum.

1079 Hinc, Christus in sua Ascensione elevatus dicitur ad supremum Empyreæ habitationis locum, & ad talem apicem, ad quem nullus Angelorum pertigerit. Psal. 67. 19. Ascendisti in altum. Græcè, in fastigium, in sublimitatem: ad Empyreæ cæli apicem. Ad Ephel. 4. 10. Ascendit super omnes caelos, ut impletet omnia. Ubi Chrysostomus Homil. 11. Ascendit super omnes caelos, ultra quos quoque nihil est aliud, hoc videlicet est potentia, & dominationis ipsius. Et S. Anselmus ibidem: Ascendit non solum super omnes caelos materiales, sed & super omnes caelestium virtutum ordines superans loco, & dignitate omnem creaturam. Unde multorum mens est cum S. Thoma, Christum in eminentissimam cæli Empyreæ partem ascendisse; ita ut ejus corpus sit supra convexam superficiem illius cæli quam suis pedibus tangit & calcet. Vide Suarium nostrum Tom. 2. in 3. p. Disput. 51. Sect. 1. Et observa S. Leonis Papæ eloquentissimum ad rem præsentem effatum in Sermon. 1. de Ascensione: Et re vera (inquit) magna erat, & ineffabilis causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum caelestium dignitatem humani generis natura conscenderet supergressura Angelicos ordines, & ultra Archangelorum altitudines elevanda: nec ullis sublimitatibus modum sua provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta confectu, illius gloria sociaretur in throno, cujus natura copulabatur in filio. S. Anastasius Sinaita in lib. 2. Hexaem. cum tres caelos distinxisset, aëreum, stellatum, & tertium, quod quid sit, se non intelligere fatetur; concludit: Supra hoc caelum nemo est ingressus, nisi solus verus Pontifex Christus: superius autem caelum existimo esse sinus paterni. Ex his ergo, quæ ab Ascensione Christi evenerunt, efficitur ad id præsertim supremum caelum fabricatum, ut esset magnificentissima ejus sedes, ad cujus apicem nullus pertingere valet.

1080 Ut autem clareat, quo sensu in caelo Empyreum, vel ab illius creatione, resplenduerit suprema Christi Majestas, præmittere oportet viorem, & communem Catholicorum omnium sententiam, post Concilii Lateranensis definitionem; scilicet Angelos non ante, sed simul cum mundo corporeo fuisse conditos. Credunt omnes penè Theologi, Angelos simul cum caelo Empyreum & in ipsomet caelo Empyreum creatos, speciosæ illius habitationis incolas futuros, & administratores Christi Domini spiritus, mentes nobilissimas, naturæ & gratiæ donis insignitas. Probabilis tamen est Lorini opinio in 2. Petri 2. & Soarii in opere de Angelis l. 1. c. 4. n. 7. existimantium, Angelos creatos fuisse in caelo sidereo, vel in eo, quod sub Empyreum proximè collocatum est. Illud item apud eundem Soarium lib. 5. de Angelis c. 6. à num. 8. satis firmatum & auctoritate & ratione; Angelis nempe ab initio suæ conditionis Deum aperuisse suum æternum illud consilium uniendi hypostaticè divino Verbo humanam naturam; proposuisseque Christum tanquam caput & Dominum, supremumque cæli & terræ Principem, erga quem venerationem exegit, & famularum. Boni Angeli tunc Christum adorantes, per ipsum gratiam & gloriam sunt

consecuti: mali verò superbiâ in transversum acti, Christum ut caput agnoscere, & adorare nolentes, ex illa beata sublimique cæli Empyreæ statione ad inferna fuerunt detrusi. De quo nonnulla supra diximus. Ecce tibi, qua ratione, vel à prima rerum creatione, in caelis resplenduerit Regia Christi Majestas, proposita omnibus Angelis adoranda, adorata à bonis, repugnantibus malis, sed deinde adorare coactis, ut dicitur ad Philipp. 2. 10. Unum audi ad rem nostram Christopolitanum Episcopum Jacobum de Valentia in Psal. 81. Vidit Lucifer solium, & sedem præparatam super totam naturam Angelicam pro Christo homine, absque hoc quòd sciverit mysterium passionis Christi, & redemptionis humanæ; sed non ignoravit mysterium Incarnationis, & exaltationis humanitatis Christi, & sic habuit occasionem perverse appetendi. Sed exit deinde luculenter: Ab initio omnibus Angelis fuit lex posita, qualiter Deus præparaverat illam sedem pro Christo homine à Verbo personabiliter assumendo, cui tradendum erat universi imperium, jubente Deo, ut omnes Angeli, & creature obedirent, & simul cum Verbo eum adorarent. Cui legi Lucifer cum suis sequacibus renuit obedire, in solium Christi tenuit usurpare, & ideo cecidit.

1081 Hinc referas illustrem illam Christi Domini speciem, in sua Majestate, & gloria oblatam Isaïæ oculis c. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Pro templum, ex Hebræo legunt Vatablus, Forerius & alii Regiam. LXX. verò: & plena domus erat gloria ejus. Vati porò versanti in terris objecta pulcherrima Christi imago fuit in Empyreum caelo, quod templum, Regia, & domus ejus est. Psal. 10. 4. Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes ejus. Et Apoc. 15. 5. Apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo. In hac igitur caelesti Regia Christum vidit sedentem in throno excelso, Augusto, & eminenti; quem ad supremam ipsius Christi Majestatem retulit S. Basilus ibi: Solium elevatum dicimus in omnem creaturam principatum, & dominationem. S. Hieronymus visum Dei Filium in regnantis habitu putat: regio quidem amictu purpureo, ornatu lautiori, ac splendidiori, longis etiam fimbriis, seu laciniis ad ima longo tractu desluentibus. Quo Regio apparatu suprema Christi Majestas significabatur. Unde Joannes cap. 12. 41. cum de Christo loqueretur, ait: Hæc dixit Isaïas, quando vidit gloriam ejus. Græcè δὲξας, id est, gloriam, honorem, Majestatem. Hac Christi gloria, honore, & Majestate repletum esse caelum Empyreum testatur Isaïas.

1082 Et quidem quod Vates hic aspexit visione imaginaria, atque intellectuali illustratione, objectum similiter Angelicis spiritibus esse, vel ab ipsorum creatione, & cæli Empyreæ fabrica æquum est aurumare. Subinde juxta regium Christi solium assistentes intuitus est alatos Seraphimos, non duos tantum, sed in circuitu ejus (ut vertunt LXX. & vult S. Hieronymus) plures, alternis vocibus divinum illud trisagium iterantes, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: id est, Angelorum: Christum hoc cantu suum supremum Dominum, & Regem agnoscentes, & venerantes, tanquam ejus obsequentissimos ministros. Ideo stabant; quod ministrantium habitus est. 3. Reg. 10. 8. Beati servi tui, qui stant coram te semper. 3. Reg. 10. 8. Ideo

Christi Majestas ex tunc resplenduit in Empyreum.

Jacob de Valentia.

Isai. 6. 1. Christus præ se ab Isaïa Regnantis habitus in Empyreum.

Psal. 10. 4. Apoc. 15. 5.

S. Basil.

Joan. 12. 41.

Illud idem objectum Isaïa, propositum Angelis est ab initio sua creationis.

Angeli ex tunc Christum venerantur.

Ideo etiam, senas quivis habens alas, duabus faciem velabat, duabus pedes, & reliquias duas ad volandum expeditas relinquebat: Sic suam religionem, ac reverentiam significantes, quam habent erga Dominum; ait S. Chrysof. Tom. 1. in Homil. super illam Isaïæ visionem. Non sic pessimus Cacodæmon cum reliquis transgressoribus; qui, cum ab initio Christus Dominus in solio Majestatis Regio colendus obiceretur, dicere ausus est apud Isai. 14. 13. In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sededo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinè nubium, similis ero Altissimo. Vanissimus, & ventosissimus Lucifer, Empyreæ cæli apicem & regium thronum, propriam solius Christi sedem præripere præsumit, sedere vult, ministrari non ministrare, dum Michael, & reliqui ejus Sodales stant tanquam ministri coram sedente JESU in throno excelso & elevato: Adstant Domino præsentem (ait Bernardus Ser. 5. in illa verba) devotum utique ministerium, & plenum reverentiæ obsequium exhibentes. Et Ser. Stant plane Seraphim attoniti, & suspensi in contemplatione sedentis in throno; Tu sedere tentasti, ô impie! Idcirco ab ipso met Christo JESU Lucifer, & reliqui ei consentientes, pessum dati, & in tartarum præcipites detracti. De quo Isaïas cap. 51. v. 9. cujus verba supra expendimus.

Renitit Lucifer, & thronum ambit. Isai. 14. 13.

Stant Michael & boni Angeli. S. Bernard.

SECTIO XLI.

Præcedebat Christus Dominus gradientes per desertum Hebræos, ut Dux itineris, ut populi Magister è throno, è suggesto nubis Regio.

1083 Non in caelis tantum, sed in terris quoque regia Christi Majestas vel à mundi exordio respicienduit, à soluta præsertim Ægyptiaca captivitate, post quam Israelitici populi ductor extitit Jesus Christus è solio nubis regio præcedens. Etenim forma illa præstantissima (ut loquitur Philo in vita Moysis) in divinissimum simulachrum, quod in media rubi flamma Moysi apparuit, Christi Dei & hominis pulcherrimū erat simulachrum formam referens humanam, ut multi Ecclesiæ Doctores arbitrantur relati à nostro Fernandez in eam visionem. Ea autem cura ipse punctus descenderat, ut supremum suum dominium ostendens, captivum populum de Ægypto transferret in signis & portentis, ut re ipsa transtulit. Unde Judas Apostolus in sua Canonica v. 5. Commonere vos volo, scientes semel omnia, quoniam JESUS populi de terra Ægypti salvans. Pro Jesus Græcè ponitur ΚΩΣ, id est Dominus: alii Codices ΙΩΣ, id est Deus. Et Syra Edicio: Quod Deus populum ex Ægypto liberavit. Clemens Alexand. 3. Pædagogici c. 8. Dominus Deus, extulit. Expositores omnes, de Christo Jesu quæ Deus, & quæ homo est, sermonem esse declarant, probantque rectè, minime hæc in Josue Ducem cadere (neque enim ipse, Dominus Deus, fuit, nec liberator populi Hebræorum ex Ægypto) sed in Christum Dominum, non solum ratione personæ divinæ, sed ob Incarnationē ita prædefinitam, ac si facta jam esset; ut eruditè probat ex S. Hieron. & nonnullis sacre Scripturæ testimoniis Jodocus Chetovæus in Cōmentario ad lib. 4. c. 6. S. Joannis Damasceni. Hinc jam S. Cyrill. lib. 12. Thesauri c. 13. Si Jesus P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Philo. Per Christum, jam ex tunc innotescens, solus Hebræorum captivitas.

Jude Epist. vers. 8.

S. Cyrill.

(inquit) secundum Apostolum Judam, populum eripuit ex Ægypto, ipse certe est, qui dicit ad Moysen de medio rubi: Ego sum qui sum. Tota igitur illa populi Hebræi eductio Christi Domini expeditio fuit, per quam in terris innotuit mirum in modum Regia ejus potestas, & supremum Dominium.

1084 Porro, qui Hebræorum gentem ex Ægypto eduxit, deduxit etiam per desertum: Christus nempe, cujus thronus (ut ipse ait) in columna nubis. Thronus quidem regis Regiæ Majestatis index, uti supra statimus: Columna via demonstrans Christus est Dominus; a Jebat S. Zeno Veronenis Ser. 14. Et Rupertus Rupert. lib. 2. in Exod. c. 28. & 29. Quinam est hic dux itineris, nisi qui & dux & via nobis est Jesus Christus Filius Dei? Ipse nimirum columna ignis, qua verus Deus, ipse idè columna nubis, qua verus homo est. Sed, inter alios audiendus S. Ambrosius Ser. 18. in Pl. 118. sic alloquens Hebræos: Miramini Moysen, quia Patres vestros per mare sicco duxit vestigiis. Moyses non imperavit, sed impetravit; non jussit mari, sed servivit jubentibus. Moysen laudatis, quia Regè Pharaonem cum exercitu suo merisit; Moyses orabat, & alius impetrabat: Moyses precabatur, & Christus operabatur; Moyses fugiebat, Christus insequiebat; Moyses columnam sequebatur, ut nocturnas tenebras declinaret, CHRISTUS ILLUMINABAT. Quid pro argumento nostro luculentius? Quæstio est, quandonam desit columna illa nubis & ignis? Hebræi defecisse putant statim post mortem Aaronis, quæ errant; cum Deut. 31. 15. dicatur columna hæc apparuisse Moysi. Verior igitur existimatio est, perduxisse usque ad ducatum Josue. Certè non absque arcano mysterio. Cum enim Josue Christi figuram portaret, ac veri Jesu umbra Jesus ille populi Israelitici ductor esset; ut passim sancti Ecclesiæ Proceres observant: quando Josue ductor abest, Christus Jesus sub columnæ specie præibat; aut ubi primū adfuit illustri Jesu insignitus caractere, ductrix columna desit; ut significaretur columna illa regis Christi thronus fuisse, à quo ipse suum populum ducebat, & docebat mirabili erga illum providentia, & benevolentia, nunc se illi præstando patrem, nunc matrem, modò nutritum, modò gerulam & altricem; nunc pædagogum & magistrum, nunc illum manibus gestando, nunc humeris, pectore, & oculis: ut in expositione textus dicebamus: ea enim omnia in Christum eorum ductorem maximè cadunt.

Christus duxit Hebræos per desertum, sub columna specie illius. S. Zeno.

S. Ambrosius.

Perduxit columnam illam usque ad Josue, ipsum Christi luculentiorum.

Cant. 1. 2.

Effusum nominis Christi oleum, quando effusum cepit.

1085 Sint (ut Hebræi volunt) veteris Synagogæ voces illæ Cant. 1. 2. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentula dilexerunt te. Trabe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. De Christo Jesu sermo est, cujus nomen, seu personam oleum effusum appellat, id est, Christum ab unctione dictum, quia Rex & Sacerdos, ut latè & eruditè probat noster Sherlogus ibi Vestigatione 3. Sect. 1. n. 15. Vel, ex aliarum mente, oleum effusum vocat JESU nomen. Illud hic inquirō, quandonam apud Veterem Synagogam effundi hoc nomen, & olei ad instar propalari cepit? S. Bernard. Ser. 15. in Cantica præclare adstruit, tunc illud Christi, seu JESU nomen, effundi ceptum, cum factum est magnum id nomen Abram & Sarai incrementum, de quo Genes. 7. 14. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellata.

Gene. 17. 14.

Tempore Abrahami & Sarai.

S. Bernard.

Littera aditronominibus Abraham, & Sarai. S. Hieron.

Effusum coram Mose & Rubo. Exo. 3. 15.

S. Bernard.

Quid sit, ego sum qui sum.

Jehovah nomen idem cum nomine Jesu.

Cant. 2. Effuso jam Christi nomine odorem Synagoga praesentis.

pellaberis Abraham. Et v. 15. Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Hoc nomen Abram in Abraham, & Sarai in Saram auctarium, vocat pius Abbas effusionem nominis JESU. Quondam quoque Abram in Abraham, & Sarai in Saram effusa sunt, & jam tunc saluifera effusionis celebratum, praesiguratumque mysterium recordamur. Verum hoc illorum nomen incrementum, quod referi ad saluiferam nominis JESU effusionem? Multum quidem: nam incrementum illud, per unius additionem litterae n ba, ex diviori nomine Jehovah decerpit, factum est, ut ex Hebraeis observat S. Hieron. Quaelio. Hebraicis in Genesim. Dicunt Hebraei, quod ex nomine suo Deus, quod apud illos est tetragrammatum, n he Abrah, & Sarai addiderit. Ecce tibi quae ratione tunc Jesu Christi nomen effundi & proparari coepit, dum Abrah & Sarai nominibus nova crevit littera divinisimae Jehovah nomenclaturae, quae idem est cum Jesu vocabulo, ut multi sentiunt.

1086 Rufus, novam agnoscit, & majorem nominis Jesu effusionem Bernardus, dum inquirenti Moysi, quod esset insidentis in rubo ardenti nomen, ipse respondit: Ego sum qui sum: qui est, misit me ad vos. Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Exod. 3. 15. Haec dulcissimi Abatis verba: Quale erat nomen, quod seiscitanti Moysi primo responsum est: Ego sum qui sum: qui est, misit me ad vos? Nescio an vel ipse Moyses caperet sic, si non videlicet effunderetur, sed fusu est, & captu est. Nec modo fusu, sed & effusum. Nam infusum jam erat: ja cali habebant illud: jam Angelis innoverat. Est autem foris misum; & quod Angelis ita erat infusum, ut esset & privatum; effusum & in homines est, ita ut jam tunc merito clamaretur de terra. Oleum effusum nomen tuum: si non ingrata plebis exosa pervicacia obstitisset. At enim: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Certè eò spectat Bernardus, ut probet, Jesu Christi nomen instar olei estusum, ante Incarnationem, innovisse. Sed quo pacto effusum per illud insidentis in rubo responsum: Ego sum qui sum &c? Clarebit, si expendas, his verbis, Ego sum qui sum, Dei nomen tetragrammaton Jehovah contineri, ut penè omnes observant sacri expostores. Jehovah verò nomenclaturam eandem profus esse cum Jesu nomine, multis probat Alphonsus Mendoza qu. 10. expostiva. Praeterquam quod ea verba, Ego sum qui sum, sic ad verbum ex Hebraeo vertas: Ego ero qui ero: Ero misit me ad vos: futuram nempe Incarnationem, & humani generis redemptionem significans, quae ipsomet Jehovah, sive JESU nomine tunc primum Moysi revelata haud obscure indicabatur. Suffragatur S. August. in Catena Lippomani in Exodi illud, Ego sum Deus Abraham &c. ita: Mysterium suscepta Incarnationis insinuat, quia de illis secundum carnem generatus agnosceretur.

1087 In hunc igitur modum sanctissimo Christi Jesu nomine, olei ad instar, diffuso; dum aliqualem illam effusionem pigra aliàs & tarda Synagoga agnoscit, proclamat appositè: Trabe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Quid hoc? Venuit exprimit ad rem nostram, Chaldaea Paraphrasis his verbis: Quando egressi fuerunt populus domus Israel de Aegypto, Majestas dominatoris saeculi erat Dux eorum in columna nubis per diem, &

in columna ignis per noctem. Dixerunt justi illius generationis: Dominator totius saeculi, trahere nos post te, & curremus post viam bonitatis tuae. Premebatur in Aegypto dura servitute Gens Hebraea, tota in laboribus plurimis, & amaritudinibus jacebat attrita, atque vulnerata ab immanissimo, & potentissimo tyranno. Majori opus era. potentia, ut, reluctante etiam adversaria, eriperentur Hebraei de Pharaonis potestate, ille vapularer, & saevissimis profligaretur plagis. Idcirco trahendi utitur voce vetus Synagoga, trabe me: quae coactionem, & violentiam praese fert ad dura quaeque superanda in expeditione illa. Ipsa interim Synagoga ex ea tyrannide erepta, & odorata jam unguentū nominis Christi JESU suavissimum, currendum sibi esse cum suis pedissequis post viam bonitatis Dominicae; per Christum praerentem tanquam ducem in columna nubis & ignis. Post te curremus. His adnecte illud Cant. 2. 6. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: juxta Chaldaicam Interpretationem: Quando populus domus Israel ambulat per desertum, erant nubes gloria circumdantes eos per quatuor ventos mundi, ut non dominaretur in eos aësus, neque Sol, neque pluvia, neque grando. Certè ducatum nubis dulcissimos vocat Christi praecedentis amplexus: tanta enim suos ipse Israelitas indulgentia & benevolentia, à throno illo nubis prosequabatur, ac si familiariter charissimis eos exceperet & portaret brachiis, uti indulgentissima mater infantem suum.

1088 Nec ductorem solum, sed doctorem etiam, & Magistrum populus ille Christum habuit: Et cathedra mea in colina nubis. Pl. 98. 7. In cathedra nubis loquebatur ad eos. Quod argutè expendit S. Chrysol. Ser. 69. in hunc modum: Miro contubernio Israeliticis Deus conversatus in castris: numerosas gentes nunc ferit fulmine, nunc tangit grandine, nunc solotubarum clangore prostravit: ut sine consilio, sine vulnere Deus ducat victrices acies, quas praecedit. Assuit desideris, votis annuit singulorum, mox ad interrogata respondit, occulta prodidit, praedixit futura, quaesita patefecit. O quantum Magisterium! Ducebat legiones, & docebat abstrusa multa, absque effuso cruore, atque milite & discipulo percusso. Hinc spectant illa apud Isaiam 56. v. 6. Christi verba: Sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. De Christo Domino explicat Pontifex Soterus in Epistol. 1. Decretali ad Episcopos Campaniae: Christus enim erat, qui olim antiquis Patribus loquebatur ut archimagister, & archipropheta prophetas creabat, prophetas dictabat, dictatas exponebat. Nec minus perspicuum est illud Sap. 7. 27. ubi de Incarnata Sapientia, si ve ut alii loquuntur, de Verbo divino, sic sentit Salomon: In animas sanctas se transfert, Prophetas Dei, & amicos constituit. Vox Graeca valet, instituit, disponit, apparat, exornat prophetas: quasi ipsorum praeses & didascalus.

SECTIO XLII.

Suprema Christi Majestas resulget magis ut Ecclesia Christiana, majori erga nos benevolentia, quos ipse ducit, obumbrat, & illuminat quasi è regio nubis & ignis folio.

1089 Illa hic una praere debet notatiuncula, cui multi applaudant æquum est: nempe,

eripi se ex captivitate petis, & ducari per desertum. Chaldaea.

Cant. 2. 6. Chaldaea.

Christus Hebraeorum Magister & cathedra nubis fuit. Plal. 98. 7. S. Chrysol.

Sap. 7. 27.

Instaurata vetera notabilia in Ecclesia Christi sum sublimis. 10. or 10. 6.

Eccles. 36. 6.

S. August.

Regius nubes & ignis thronus instauratus.

Isai. 4. v. 5.

S. Hieron.

S. Hieron.

nempe, quae olim Deus homo futurus admiranda fecit, homo jam factus sic instauraret, ut in similia alia commueter, in quibus eadem antiqua verè, sed sublimiori ratione reparentur. Hoc illud mihi est, quod Paulus agebat 1. Corinth. 10. vers. 6. Haec autem in figura facta sunt nostri. Et vers. 11. Haec autem omnia in figura coningebant illis. Sed premia Ecclesiastici nostri verba cap. 36. 6. Innova signa, & immuta mirabilia. Festina tempus, & memento finis, ut enarret mirabilia tua. Christum alloquitur, & de Christo propheta est, ut S. August. vult 17. de Civit. c. 20. Hanc sub obstandi & precandi specie prophetiam per Jesum Christum videmus impletam. Feut ergo Siracides, ut Christus alia novaque patre miracula, ut immuet vetera in nova, ut instauraret mirabilia, ut similia operatus est. Ita Abbas Evidensis Rabanus, & alii Interpretes. Haec praeserta notatiuncula,

1090 Illud Dei facinus saeculis omnibus summa admiratione prosequendum, quod jam supra expendimus, de regio nubis & ignis throno, è quo suos ductavit Israelitas per quadraginta annorum spatium, miro sanè conubernio, & summà benevolentia; illud, inquam, Dei facinus instauratum esse, & instauratum iri excellentiori modo in Ecclesia Christiana, nunc statuimus, & expendimus celebrata aliquot testimonia huic existimamioni splendorè offundentia. Isaias in primis sic praedixit loquens de Christo, & Ecclesiae Christianae magnalibus c. 4. 5. Et creabat Dominus super omnem locum Montis Sion, & tibi invocatus est, nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculo diei ab aësu, & in securitatem & absconione à turbine, & à pluvia. Nemo dubitat quin haec referantur ad illam humanitatem, & indulgentiam, qua Deus complexus est & prosecutus Judaeorum gentem, cum liberab Aegypia tyrannide longo curriculo iter inivit, praerente Deo iplo, in columna nubis & ignis ducente, sed instaurandum hoc in Ecclesia Christiana, sublimiori ratione, Prophe. a inquit, cum Deus aderit homo jam factus. Ita S. Cyrillus, S. Hieron. S. Basil. Procopius Gazaëus, Theodoretus, & multi alii. Priora Isaiæ verba sic vertunt LXX. Et erit omnis locus montis Sion &c. Ubi Hieron. Quis autem veniet, nisi ille, de quo scriptum est: Veniet ex Sion qui liberet: & de quo alius Prophe. ta commemorat: adhuc paululum modicum, qui venturus est veniet, & non tardabit? Pro illis autem: ubi invocatus est, ponitur Hebraea vox significans Ecclesiam, congregationem, conventum, Synodum. Veritas, super Ecclesiam ejus, super fidelium conventum: qui Christum invocant; vel à Christo Christiani nominantur. Igitur in Ecclesia Christiana Deus Incarnatus sic liberaliter, molliter, & amanter amplectetur suos, ductabit, obumbrabit, illuminabit, ac proteget ab omni hostili incurfu; quemadmodum olim Hebraeorum populum ex Aegypto traductum; cum ipsemet in columna nubis, & ignis praebat via aperiens in regione nondam explorata, & in via. Ipse ipse fidelibus suis, quos elegit de mundo, nocte dieque aderit, ut ductor, ut pater, ut mater, ut gerula, ut nutrix. Sic Hieronymus: Cum ille venerit, reddetur populo felicitas pristina, quae aliquando habuere in P. Ildeph. de Flores in Eccles.

eremo, praecedente Domino eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: ut nec in prosperis, nec in adversis aliquando turbentur.

1091 Sibi consonat Isaias cap. 43. ubi de eximia Dei providentia, & favore erga novum Israel ex Gentibus electum in locum reprobatu Israeis carnalis. Subiexit v. 19. recitatis mirabilibus, quae olim Deus in Hebraeorum gratiam paravit: Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, & in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones, struthiones. Ac si dicat: Admiranda & omni aevo celebranda illa fuere, quae quondam Deus homo futurus pro Israelitarum gente ex Aegypis liberata, & ad promissam terram deducta, effecit. Sed quid haec, si illis conferantur, quae homo jam factus pro Ecclesia mea effecturus sum? Grandiora erunt, mirabilioraque, & rerum multitudine, & magnitudine gloriae. Ponam in deserto viam. Ductum hoc planè (ut sapienter observat noster Sanctus) cum intuitu ad nubem per diem, & columnam ignis per noctem, quae viam insignita regione peregrinantibus Hebraeis ostendebant. Ut enim olim (ait Prophe. a) columna ignis noctu, & in erdiu nube praecedentibus, viam ostendebat Deus in solitudine; sic fidelibus suis Christus eadem praestabit excellentiori modo, ductans ipse eos, obumbrans, illuminans, & protegens. De voca. ione Gentium ex Aegypio, errorum in Ecclesia Christianam sacri haec capiunt expostiores nonnulli, quibus Hieron. perspicue favet. Nequaquam (ait ille) memineritis veterum, quoniam in Evangelio multo sum majora facturus, quorum comparatione, praeterita sileri debeant. In deserto totius mundi reperiam viam. Quod spectant omnino quae Vates subdit: Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: id est, Gentiles, qui agrestes & feri, verè, & ex animo Christum glorificabunt, qui eos per desertum ductabit, obumbrabit, & illuminabit, tanquam è nubis & ignis columna.

1092 Non hinc me abire permittam, quin prius tibi proponam expressam rei hujus imaginem ex Apoc. 10. 1. Et vidi (ait Joannes) alium Angelum fortem descendentem de caelo, amictum nube, & iris in capite ejus; & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tanquam columna ignis. Christus Dominus hic est magni consilii Angelus è caelo in terras missus. Vel Christus est, non in se solum, sed in suis Evangelicis concionatoribus transmissis ad Gentium conversionem, ut noster explicat Alcazar. Ea propter describitur Angelus ille à terra, id est, à Judaismo, ad mare, id est, Gentilium proficiscens. Expende quo habitu, qua specie. Nube amictus, seu coopertus: nube quidè speciosa, & splendida à Solis illuminatione; nube quae ipsam Solis lucem opacabat, & spectantes obumbrabat, ut illa in transfiguratione Christi Luc. 9. 34. Matth. 17. v. 5. Nubes lucida obumbravit eos. Videbatur esse totus ille Angelus quaedam lucida nubis colina. Imò & colina ignis: cum crura illius dicantur esse tanquam columna ignis. Ecce tibi Christus Dominus, vel in se, vel in suis Evangelii evulgatoribus, ad instar columnae nubis, & ignis apparet, dum Gentiles vocat, & illuminat; regit & ducit, ne aberrent obumbrat & protegit, multo melius quam olim gradientes per desertum Israelitas. Sic posuit in deserto viam.

Isai. 43. 19. In deserto via quae?

S. Hieron. Gentilium conversio, & deductio ad Ecclesiam.

Apoc. 10. 1. Christus nubes amictus, instar columnae nubis & ignis, illuminans.

Luc. 9. 34.